

dunt foetus illius perimunt, quia post difficile capiuntur. Sic faciendum cogitationibus. Unde Cant. II. dicitur: *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.* Hoc ipsum accuratius explicare licet infelici Absalonis lapsu. Nutriebat is capillos suos magna ambitione. Deinde, permittente Deo ingressus subter quercum implicatus ramo, per capillos adhæsit quercui. Quo intellecto Joab infixit tres lanceas in cor illius et depositum obruit lapidibus, H. Reg. XIV. et XVIII. Capilli cogitationes denotant, quæ si nutriantur et cum delectatione foveantur, implicant affectum hominis cum perituris bonis, ita ut in iis suspensus hæreat, nihilque aliud cogitet. Quis dicat avarum non teneri suspensum pecunia? Ambitosum a dignitate? Lascivum a pellice? Et quibus nisi cogitationum suarum funibus constringuntur? *Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum,* Matth. VI. Et tunc accedit libere dæmon et infigit in cor hominis ejusmodi tres illas lanceas, quas Joannes appellat, concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum et superbiam vitæ, I. Joan. II. Tandemque obruit eum peccatorum cumulis, veluti lapidibus, cum in consuetudinem et obstinationem pertrahit. Itaque tempestive tendendi sunt capilli malarum cogitationum.

III. Gressum habet furis, quia uti pavo, sensim et occulto passu graditur: sic etiam cogitatio, quæ quia tota intus perficitur in cordis cubiculo, et tota spiritualis est, a multis sæpe non deprehenditur, atque ita sæpe ingentes strages in anima facit, antequam fur esse deprehendatur. Et hi sunt illi latrunculi, qui latenter et occulte perque exiguum foramen cor hominis invadunt, spoliunt et necant: figurati in latrunculis Syriæ, IV. Reg. V. qui egressi captivam duxerant puellam parvulam de terra Israel. Cogitationes enim malæ quia in occulto gradiuntur, nec facile apparet earum malignitas, facile ingrediuntur cubile cordis et subtilissimis assensibus (sive tacitis sive expressis) animam illaqueant et vinctam de statu gratiæ in dæmonis captivitatem abducunt. Locutiones et opera externa, quasi funes sunt, in quibus nodus facile deprehenditur, facile etiam solvitur. Quis enim non advertat se peccare, cum blasphemat, cum scortatur, etc. Sed cogitationum assensus totus intus et subtiles sunt: in quibus veluti in filo tenui serico nodus vix deprehenditur et difficulter solvitur. Quam noxius et subtilis, putatis, est funis ille, de quo Salvator, Matth. V. ait: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mæchatus est in corde suo?* Certe funem et furem istum non deprehenderant omnes Pharisæi et legisperiti, antequam ostenderit eis Dominus. Et quam multi etiamnum, post-

quam indicavit Christus, non deprehendunt, vel potius nolunt deprehendere? Quam subtilis fur, suspicio? Temerarium iudicium? Contemptus proximi? Quam parum autem hi fures et modi deprehenduntur? Apparet in confessione, ubi paucissima talia afferuntur peccata, quibus tamen nihil facilius et communius. O miseram animam, quæ a talibus capitur latrunculis! Vere enim dicere potest illud Prov. XXIII. *Verberaverunt me, sed non dolui, traxerunt me et ego non sensi.*

Quinetiam viri alias boni, docti et oculati sæpe his nodis irretiuntur, nec tamen eos deprehendunt aut illis se extricant. Exemplum refert Jordan. a Saxonia, l. III. de comm. spirit. c. XXX. de fratre sibi noto, singularis vitæ, qui mortuus post annum apparuit euidam viro pio et dixit se eousque in atrocissimis fuisse tormentis tantum ob cogitationes pravæ, quibus sæpe in mente inquinabatur, quasque per poenitentiam non diluerat. Tametsi vero hi fures, non advertuntur sæpe ab hominibus advertuntur tamen a Deo, qui omnes eorum gressus numerat. Audi Sapientem, Prov. V. *Quare seducis fili mi, ab aliena et foveris in sinu alterius? Respicit Dominus, vias hominis et omnes gressus ejus considerat. Iniquitates suæ capiunt et funibus peccatorum suorum constringitur.* Nonne hodierno in evangelio detexit Dominus cogitationes Scribarum? Vah! quomodo confunduntur ii, qui perversas, fœdas et impias agitant cogitationes, in iudicio cum a Deo deteguntur et omnibus manifestabuntur? Si enim illæ nunc coram paucis tantum revelarentur hominibus, quantum confunderentur? Argumento est, fr. Leonardus socius S. Francisci; qui cum aliquando pedes comitaretur patrem suum Franciscum asello vectum cogitaretque intra se, quantis olim passibus præverit genere et nobilitate Franciscum, quem nunc equidem ipse pedes comitaretur; Franciscus Spiritu s. edoctus vidit hanc socii cogitationem in tumorem assurgentem, moxque asello desiliens, se illi asellum cedere dixit, seque potius pedibus iter facturum, eo quod obscuriori loco natus esset. Quare adeo est confusus frater, ut ad pedes ejus acciderit, veniam precatus, Bonavent. in vita S. Francisci. Quæ igitur confusio apprehendet eos in iudicio, qui fœdissimas et iniquissimas perpetuo moluntur cogitationes, per quas ut ait S. Job, cap. XIX. latrunculi faciunt sibi viam et obsident in gyro tabernaculum eorum?

IV. Sed quomodo vocem diaboli mala cogitatio habet? Terribilem emisit vocem superbus ille pavo diabolus, quæ cælum omne turbavit, Dei offendit aures, et omnes cæli incolas terrefecit, cum cla-

mavit: *Conscendam in cælum et similis ero Altissimo.* Inde enim cœlestis harmonia perturbata est: omnes angeli boni ad arma concurrere et contra Luciferum pugnare. Ejusmodi etiam vox est mala cogitatio, quia per etiam diabolus vult concendere in cor tuum et Deum inde ejicere. Perturbat ergo primo, quiescentem ibi Spiritum s. sicut latratus canis infestat tandemque expellit e latibulo feram: quia per ejusmodi cogitationis delectationem et complacentiam incipit homo corrivere et colludere cum diabolo: quod cum sponsus animæ Deus æmulator, ferre nequeat, quomodo non infestabitur ejusmodi latratu, tandemque expelletur? Audi Michæam, etc. II. *Væ qui cogitatis inutile, inquit, et operamini malum in cubilibus vestris.* Moxque per enallagen mutans personam, quasi faciem et sermonem ab eis per indignationem avertens subdit: *In luce matutina faciunt illud, quoniam contra Deum est manus eorum.* Intellige, si ad cogitationem accedat operatio voluntatis seu voluntaria immoratio, unde non tantum dixit: *Væ qui cogitatis, sed addidit: Et operamini.* Enimvero si cogitationi pravæ reclames et strenue resistas, non modo inde non contristabitur Spiritus s. sed magis recreabitur, cum viderit te fortiter repugnantem proco diabolico. Etenim si maritus latens in cubiculo, audiat uxorem ab adultero sollicitatam, fortiter et constanter ei resistentem et nullatenus assentiri violentem ac dicentem: Ego marito meo fidem dedi, eandem illi servabo: non possum, nec volo facere quod petis, etiamsi domum auro plenam dederis; apage, etc. quomodo non sumopere placebit marito hæc uxoris reluctatio? Quomodo non tandem prosiliet et adulterum expellet? Similiter si reclames strenue contra obstrepentem cogitationem, delectabis sponsum tuum: et ipse mox prosiliet teque adjuvabit et tentationem dissipabit. Contra sicut Deut. XXII. puella viro desponsa, et ab altero constuprata, si non clamavit cum esset in civitate, jubetur lapidibus obrui, una cum stupratore: sic etiam anima Deo desponsa, si contra malæ cogitationis sollicitationem, non reclamet, non reluctetur, non invocet Dei auxilium, ut rea adulterii a Deo punietur.

Secundo, conturbat etiam ipsam animam, ut Spiritus s. inhabitantis dulcedine et pace cordis frui nequeat. Hoc enim est quod Ecclesiastes, c. X. ait: *Musæ morientes perdunt suavitatem unguenti.* Quia cogitationes superflue, inquit S. Greg. lib. XVIII. mor. c. XXV. quæ assiduo in animo carnalia cogitante et nascuntur et deficiunt, eam suavitatem qua unusquisque intrinsecus per spiritum unctus est, perdunt: quoniam

integritate ejus frui non permittunt. » Notandum vero quod dicitur: *Musæ morientis,* quia ut muscæ si vivæ extrahantur e calice, non pariunt nauseam: ita si cogitationibus resistas, nec assentiaris, non offendes. Mortuæ muscæ nauseam creant, et tales sunt cogitationes malæ consensu approbatæ.

Deinde, mala cogitatio turpissima sua voce obstrepit Dei auribus ut non audiat orationes nostras, sacrificia, communionem, lectionem librorum piorum, etc. imo ut nec ipsi sæpe non orantes audiamus; et ita perdit optimam Deoque gratissimam musicam, contra id præceptum Eccles. cap. XXXII. *Non impedias musicam.* Cum oramus, v. g. musicam a nobis requirit Deus, submissa genua velut bassum, elevatas manus velut altum, vocem gravem et moderatam velut tenorem, mentem attentam et in cælo versantem velut discantum. Hanc musicam perdunt malæ cogitationes, et opus inutile reddunt, non secus ac aves garrientes, quas proinde S. Franciscus cum orabat, tacere jubebat. Pari modo muscæ istæ perdunt suavitatem unguenti, id est, devotionis, ut exponit Innocentius III. serm. in die cinerum. Cum Abraham, Gen. XV. offerret Deo sacrificium, descenderunt volucres super cadavera, et abigebat eas Abraham. Mystice: *Sæpe in illo orationis sacrificio, inquit S. Greg. l. X. mor. c. XX. importuna se cogitationes ingerunt, quæ hoc rapere vel maculare valent quod in nobis Deo stentes immolamus.* Abigendæ igitur sunt hæ volucres, nisi fructu sacrificii carere velimus. Non possumus efficere ut nullæ omnino aves importunarum cogitationum ad sacrificia nostra advolent, nec hoc exigitur a nobis: possumus tamen semper assidere et aves illas abigere, seu cogitationibus resistere, idque exigitur a nobis et sufficit.

Quare certet unusquisque sicut bonus miles, ne patiatur in cor suum advolare volatiles cogitationes, quæ fedent orationem: frangat ova pavonis priusquam excludantur, etc.

CONCIO VI.

AD SPEM QUÆ ERIGANT PUSILLANIMES.

I. Supra nos Deus potens juvare ac volens. — II. Infra nos desperationis barathrum. — III. Ante nos alii simili onere pressi. — IV. Retro nos bona opera nostra. — V. Extra et circa nos patrocinia sanctorum. — VI. Intra nos desolatio erigens ad spem.

THEMA.

Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Matth. IX.

Deut. XXIV. præcepit Deus: *Non accipies loco pi-*

gnoris inferiorem et superiorem molam, quia animam suam apposuit tibi. Mystico sensu secundum S. Gregor. l. XXXIII. mor. cap. XVII. mola inferior, quæ quasi pigra jacet immobilis timorem: superior vero, quæ mira celeritate volvitur et acceptas fruges ad usum hominum molit ac comminuit, spem significat. « Spes ad alta subvehit, inquit S. Greg. timor autem cor inferius premit: una mola sine altera inutiliter habetur. Peccatoris ergo in pectore semper debent spes et formido conjungi: quia incassum misericordiam sperat, si justitiam non timeat; et incassum metuit, qui non confidit. » Sed quis est, qui aufert a peccatore molam inferiorem vel superiorem? Isidorus ibidem: « Tollit, inquit, molam superiorem, qui peccatum flenti dicit: Non habebis veniam de commissis; tollit inferiorem qui peccatum palpando dicit: Age male quantum vis; Deus pius est et ad veniam paratus. Utiliter namque mola habetur, si spes sit cum emendante formidine; et formido cum spe. » Sic ille. Quæ cum ita sint, nolim ego, auditores, a vobis utramvis molam tollere. Nolo ut præsumendo nimium confidatis, nolo ut desperetis, sed inter utramque molam et speretis et timeatis. Quia igitur non ita pridem vos admonui molæ inferioris, ut cum timore et tremore salutem vestram operaremini, nunc admonebo molæ superioris, ut bono animo, sitis et in Deo confidatis: quia, ut ait ibidem glossa ordinaria: *Qui prædicat peccatori, tanta dispensatione prædicare debet, ut non relicta spe timorem subtrahat, nec subtracta spe timorem relinquat.* Et certe utramque molam reperimus in hodierno evangelio expressam. Nam paralytico ait Dominus: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Quis non bene speret? Et postquam ille sanatus est: *Videntes timuerunt turbæ.* Quis non cum illis timeat? Nunc igitur audiamus, quæ hominem etsi desperandum ad spem erigere debeant.

Multa sunt, quæ premunt et in barathrum desperationis possunt dejicere. Imprimis onera spiritualia, uti difficultas remissionis consequendæ, virtutis addiscendæ, consuetudinis superandæ, et perseverantiæ. Deinde, onera corporalia, uti debita insolubilia, morbi diuturni et intolerabiles, injuriæ graves, inopia inevitabilis et similes aliæ anxietates. Sed nihil horum frangere debet animos aut a spe dejicere. Nam quemadmodum supra diximus habere nos undique, cur timeamus: sic undique etiam habemus, cur bene speremus.

I. Supra nos est Deus qui potest ac vult te juvare in quacumque afflictione, modo et tu velis. Quod possit, non negabis: ostendit enim

Dominus in hodierno evangelio se utrumque posse, et peccata dimittere et infirmitates curare, Deoque unum et alterum æque, facile esse. Et si magnum malum, magnus morbus, magnum sit peccatum tuum, magnus etiam est medicus Christus, de quo: *Virtus exibat et sanabat omnes, ut habetur Luc. VI. nisi forte incredulitas tua obstet, uti Marc. VI. factum.* Olim despondere animum non poterant infirmi, qui peritissimo illi medico Hippocrati sistebantur. Et ecce plusquam Hippocrates, plusquam Galenus, plusquam omnes orbis medici Christus Quod vero etiam velit, patet similiter ex hodierno evangelio ubi dulcissimis illis verbis erigit paralyticum peccatorem Dominus ad spem utriusque mali amovendi: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Nam imprimis licet in Deo sit justitia, non minus quam misericordia, nihilominus operatio ipsius ad extra, ut loquuntur theologi, magis propria: et virtus ad quam ipse magis propendat, est misericordia, propheta attestante Psal. CXLIV. *Suavis Dominus universis et miserationes ejus super omnia opera ejus.* Idecirco et ab apostolo dicitur: *Dives in misericordia,* ad Ephes. II. sicut hic aut ille dives pecorum, alius prædiorum, alius pecuniarum dicitur, quod his maxime abundet. Unde Sanctus Bernardus, serm. V. de nativitate Domini: « Quid miseretur, inquit, proprium illi est, ex se enim sumit materiam, et velut quoddam seminarium miserendi. Nam quod judicat et condemnat, nos eum quodammodo cogimus. » Unde Isaïas, c. XXVIII. cum vindictam vocasset opus Dei, corrigit se quodammodo et vocat alienum opus ejus. Sic naturalis apum proprietates est mellificare; non pungere, quamvis aculeo armata sint; pungere enim non nisi lacessitæ solent. Ac ne tum quidem, cum punit Deus, misericordiæ penitus obliviscitur; siquidem cum dolore et compassione punire dicitur in ss. litteris, Gen. VI. *Tactus dolore cordis intrinsecus: Delebo, inquit, hominem quem creavi, a facie terræ:* et Isaïæ I. *Heu consolabor super hostibus meis! et vindicabor de inimicis meis!* Sic cum Dominus Jerusalemorum excidium vaticinaretur, videns civitatem, flevit super illam, Luc. XIX. Stulte igitur et falso dixit Cain desperabundus: *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear.* In quæ verba: *Absit, absit,* ait Sanctus Bernardus, serm. XI. super Cantic. *Major est enim Dei pietas, quam quævis iniquitas.* Infinite misericors est Deus, qui proinde plus dimittere potest, quam tu committere.

Secundo, quia ipse est pater noster, quia ad imaginem et similitudinem suam fecit nos, omniaque nobis subiecit et ad ministerium nostrum

præparavit ac disposuit, ipsos etiam angelos. Qui ergo te tam nobili loco posuit, num deserere vult? Diliget utique Deus opus suum, præsertim nobilissimum. Qui initium vivendi dedit, an negabit ea, quæ ad vitam conservandam et bene ac beate ducendam pertinent? *Confide igitur fili,* quia patrem in cælo habes, qui tui curam gerit. Quis pater gignit filium, quem postea deserat et non studeat excolere? *Confide igitur fili.*

Tertio, quia tam caro pretio emit eos, sanguine scilicet suo, et vitam potius suam, quam animas nostras perire voluit: *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* ait apostolus ad Rom. VIII. *Omnia scilicet, quæ spectant ad vocationem, justificationem, glorificationem et salutem nostram, ut nulla adversa vel prospera, nulli hostes eam impedire possint, nisi sponte succumbamus.* Qui tanto te pretio emit, non vestiet? Non pascet? Qui tantis impensis, salutis nostræ fundamenta jecit, non perficiet opus? An quis de Deo dicit: *Hic cepit ædificare et non potuit consummare?* Rursum, ad Rom. V. *Si cum inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius; scilicet immortalis et beata?* Qui nos perduelles tam benignis aspexit oculis, quibus aspiciet amicos et fideles? Qui nos tanto ære comparavit captivos, num liberos nunc deseret, quando nullo amplius laboris impendio opus est? Qui peccatorum luto fœdatus sic complexus est, quanto magis amplectetur mundos, in sanguine suo dealbatus? Denique, qui fugientes insecutus est et ad se pertraxit, quomodo fugiet aut dimittet jam ad se pertractos? Ad se accedentes?

Quarto, si nos perdere quæreret Deus, quoties causam perdendi habuisset? Quoties in mortali culpa deprehensus tradere morti et diabolo potuisset? Quid ergo morti, qui diabolo hucusque manu inhibuit nisi Deus? Et quamobrem, nisi quia: *Non est voluntatis ejus mors impij?* Ezech. XVIII. Tantum abest ut nostra perditione lætificare cupiat diabolum, ut potius in eum velut seductorem hominum excanduerit, ipsumque ejus instrumentum, serpentem punierit, Genes. II. « Nam sicut clementissimus pater, inquit S. Chrysostom. homil. XVII. in Gen. puniens eum, qui filium suum occiderit, et gladium et ense, per quæ filius suus occisus, destruit et in multas partes dividit, eodem modo Deus egit: quippe serpens quasi gladius quidam diabolicæ servivit malitiæ, unde et perpetua nisi pœna intentata est. » Sic ille. Quare non parvam Deo

injuriam irrogat, qui tam parvam de ejus bonitate, potentia, providentia et paterna cura habet opinionem, cum moneat Sapiens, Sap. I. *Sentite de Domino in bonitate.* Si enim reges sæculi volunt haberi et vocari clementissimi: et indignissime acciperent, si vocarentur duri vel severi; quanto magis Deus, qui est ipsa et summa bonitas?

II. Infra nos est horrendum desperationis barathrum, omnibus mundi malis pejus, omnibus miseriis infinities miserius, in quod semetipsum præcipitat, qui desperat, atque ab eo de sartagine in ignem, de parva et temporali afflictione ad extremam et æternam salit: et instar stulti naufragi mavult submergi, quam brachia agitare ad enatandum. Quid vero si hic adversum te conveniant omnes homines et demones, quid quæso in te gravius committere possunt quam ut de hac lacrymarum valle ad patriam beatorum, te transmitant? Hoc sensu interpretatur S. August. serm. LXXVIII. de temp. id Gen. XXV. *Major serviet minori,* id est, malus Esau bono Jacob: *Quomodo persecutores martyribus,* inquit, *quomodo limæ vel mallei auro, quomodo molæ serviunt tritico, quomodo panibus coquendis fornalia, etc.* Hinc ss. martyres gratias agere carnificibus suis: S. Emmeramus, cum duo carnifices jussi eum mactare, trepidarent et veniam ab illo peterent dixit: *Domine, da illis gratiam secundum eorum petitionem,* ut in ejus vita, apud Sur. Thomas item Morus Angliæ martyr ad locum supplicii deductus dum veniam carnifex de more peteret, osculum ei una cum angelotto aureo porrexit, dicens: *Tu mihi hodie id beneficii præstiturus es quod hactenus nemo mortalium aut præstitit aut præstare potuit,* Thom. Staplet. c. XX. in ejus vita. Quid tristius in hac vita evenire nobis potest, quam ut vita nobis ab hostibus eripiatur? Atqui hoc ipso nos ad cælum transmittent. Contra is qui desperat, non tantum malo suo non medetur, sed in malorum omnium extremum et æternum ruit.

III. Ante nos videmus alios quam plurimos nos præcessisse, qui simili vel graviore onere peccatorum aut aliarum miseriarum pressi erant, et tamen Dei benignitate non solum evaserunt, sed etiam ad magnam sanctitatem et prosperitatem pervenerunt. Hæc beneficia unguenta Christi sunt, in quorum odorem currere nos monet sponsa, Cantic. Audi Bernardus, serm. XXII. in Cantic. « Omnino propter mansuetudinem quæ in te prædicatur, currimus post te Domine Jesus, audientes quod non spernas pauperem, peccatorem non horreas. Non horruisti confitentem latronem, non lacrymantem pec-

catricem, non Chananæam supplicentem, non deprehensam in adulterio, non sedentem in telonio, non supplicentem Publicanum, non negantem discipulum, non persecutorem discipulorum, non ipsos crucifixores tuos. In odore mhorum currimus. » Sic Bernardus. Et Sanctus Chrysostomus, hom. II. in Psalm. L. « Si impus es, inquit cogita Publicanum; si immundus es, attende meretricem: si homicida es, perscrutice latronem: si iniquus es, cogita blasphemum; considera Paulum prius persecutorem, postea annuntiatorem. Nolo mihi dicas: Blasphemus sum: nolo dicas: Persecutor sum, immundus sum. Habes omnium ostensiones, etc. » et infra: « Quid est peccatum ad Domini misericordiam tala aranæ, quæ vento flante nusquam comparet. » Rursum quid est, quod diffidas? Ob peccatorum multitudinem? At Magdalena a septem dæmonibus et omni peccatorum genere liberata et charissima Christo facta est. An ob diuturnitatem? Atqui latro vero similiter longe diutius peccavit, et mox cum Christo paradisum intravit. An ob infamiam? Atqui Matthæus Publicanus fuit, et apostolus Christi factus est. An ob frequentationem reditus ad vomitum? Atqui remittitur septuagies septies, id est, quoties veniam petitur. An ob gravitatem? Atqui Paulus persecutor fuit, et princeps inter apostolos factus est post Petrum. Anselmus, in l. ad Timoth. I. ex Sancto Augustino, serm. IX. de verbis apostoli scribit: « Cum venit medicus volens sibi famam comparare, infirmum quærit aliquem desperatum, et ipsum sanat; et si pauperimum inveniat, non ibi quærit mercedem sed commendat artem: ita et Christus potentiam specialis medicinæ spiritualis suæ ostendit in Saule ut omnes deinceps nossent, eum sanare posse cunctas infirmitates omnium confugientium ad se. » Vin exemplum aliud? Sigismundus Burgundiorum rex in furore proprium filium strangulavit, anno Domini 520. cujus tandem facti pœnitentia ductus ad monasterium Agaunense abiit et ibidem per multos dies in fletu et jejunio durans petiit ut hoc sæculo potius quam in futuro de tam immani facinore pœnas daret, quod et impetravit. Haud enim multo post a Clodomero victus et captus, interfectus est et in puteum abjectus. Unde extractus et ad Agaunense cœnobium relatus miraculis claruit, atque in sanctorum tabulas relatus est, anniversaria memoria celebranda calendis maii, Baronius, anno 526. Quod attinet ad miseras corporales, quam multos ante nos cernimus longe nobis miseres? Attende Lazarum, Servolum, martyres qui famem, vincula, infamiam, tormenta aliaque, quæ

tu fugis, ultro elegerunt et expeliverunt propter Christum.

IV. Retro nos videmus bona, quæ pro Deo fecimus, aut mala quæ pro eo sustinimus, aut certe, peccata quæ per pœnitentiam delevimus, vel saltem adhuc et facile delere possumus. Si quæ bona pro Christo fecimus aut mala toleravimus, felices nos, quia pignus æternæ mercedis habemus. Deus enim: *Debitorem se fecit*, ait Augustinus, sermone XVI. de verbis apostoli, *non tantum sibi sed et Christo et nobis, ut illi dicere possimus: Redde quod promisti, quia fecimus quod jussisti*. Deinde, si peccata præterita per pœnitentiam delevimus, iterum nos felices; sic enim mortificata nocere nobis nequeunt, sed potius gaudium afferunt si tamen bona fide ea nos expiasset putemus. Quemadmodum ergo Hebræi nequaquam consternati sunt, cum extincta Egyptiorum corpora viderunt et littus maris rubri jacere, sed inde potius re-creati canticum Deo cecinerunt pro hostium suorum demersione, Exod. XIV. XV. ita licet subinde ad memoriam redeant nobis præterita peccata, si tamen ea per pœnitentiam projecimus in mare rubrum sanguinis Christi, et bona fide extincta credimus, nihil est quod metuamus, sed potius gaudeamus. Si scrupulus te angat, ne forte adhuc vivant, quæ tu demersa putas; utere consilio confessarii et projice te in sinum misericordiæ divinæ dicens: Si evidenter aut valde probabiliter mihi constaret adhuc a me desiderari aliquid ad reportandam illorum veniam et salutem meam consequendam confestim omnibus posthabitis ad illud manum admoveverem. Quod si adhuc in te vivunt peccata tua: Ecce tibi mare pœnitentiæ, merge hostes tuos. Homines quidem graviter læsi, vix ignoscere norunt et supplicibus placari. Unde Numantini nunquam fore rati ut Romanis propitiis uterentur, quibus totis viginti annis repugnando, negotium maximum creaverant, desperabundi tandem se suaque in rogam egererunt, Chavass. de prudentia, libro I. cap. VI. vero hoc de Deo minime timendum. Audiamus Ambrosium in Lucam: « Nemo diffidat, nemo veterum conscius peccatorum, præmia divina desperet. Novit enim Deus mutare sententiam, si tu noveris mutare delictum. »

V. Extra et circum nos videmus patrocina sanctorum. Et imprimis Christus ipsemet representat Patri suo quinque vulnera sua seu meritum passionis, pro nobis interpellando. Et si coram Deo, radiantissimo illo sole, consistere non possumus, Christus tamen velut nubes obumbrans intercedit et calorem ac fulgorem

illum temperat. S. Bernardus in quadam infirmitate visus est sibi ad tribunal Dei stare et accusari acriter a dæmone. Cui respondit vir sanctus: « Fateor non sum dignus ego, nec propriis possum meritis regnum obtinere cælorum; cæterum duplici jure illud obtinens Dominus meus, hæreditate scilicet Patris et merito passionis: altero ipse contentus, alterum mihi donat, ex cuius dono jure illud mihi vindicans, non confundar. » In hoc verbo confusus inimicus, conventus ille solutus et homo Dei in se reversus est, ut in ejus vita, libro I. capite XII. Deinde, Virgo Deipara velut omnium nostrum communis mater nunquam cessat Filio suo representare materna ubera sua pro salute nostra. Ipsa enim ab Ecclesia vocatur: *Mater misericordiæ, vita, dulcedo et spes nostra*. S. Bernardus, serm. de natiuitate Mariæ ait: « Ad Patrem verebaris accedere? Jesum tibi dedit mediatorem. Advocatum habere vis et ad ipsum ac Mariam recurre. Exaudietur et ipsa pro sua reverentia: exaudiet utique Matrem Filius et exaudiet Filium Pater. Filio hęc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ. » Annon illa Theophilum archidiaconum in oppido Ciliciæ, qui proprio charactere se dæmoni devoverat et christianismum abjuraverat, e profundo desperationis barathro eripuit recuperato ei chirographo postque eo sanctitatis provexit, ut catalogo sanctorum adscribi mereretur et 4. febr. solenni memoria ab Ecclesia celebraretur. Denique: *Ad aliquem sanctorum convertere*, inquit, Job, capite IV. nimirum ad angelum custodem vel alium sanctum: omnes etiam salutem tuam sentiunt. Echinus marinus cum præagat tempestatem, calculum haud exiguum arripit, sub ipso tamquam anchora seipsum firmans et stabiliens; detinetur enim illius pondere, ne facile a fluctibus trahatur atque agitetur. Basil. lib. V. hexam. cap. IX. Fac et tu similiter: calculus tuus sit aliquis sanctus, cum ingruit tentatio. Refert Sanctus Gregorius Turon. de glor. mart. cap. XXVIII. hominem quemdam desperatum, jamjam sibi vitam laqueo erepturum, subinde invocasse nomen S. Pauli, et dixisse: *Adjuva me S. Paule*. Sed en funesta umbra præsto est, jubetque accelerare opus. Ille rursus dum laqueo collum induit: *Beatissime Paule*, inquit, *esto adjutor meus*. Sed dum umbra rursus urget, adest altera ei similis, priorem objurgans et clamans: *Fuge miserime, en Paulum apostolum huc venientem: invocatus enim ab hoc homine en adest*. Tunc evanescentibus umbris, hic ad sensum suum reversus, et crucem pectori imprimens pœnitentiam cum lacrymis egit.

VI. Intra nos videmus perturbationem animi undique obsessi et in angustias redacti, gravissimumque periculum: ex quo magis ad spem erigi debemus scientes quia rebus desperatis Deus maxime adesse solet. Testem habemus S. Martinum qui a latronibus comprehensus et jam quasi ense stricto ferendus cum postea rogaretur a latronibus, an timuisset, respondit: *Nunquam se magis securum fuisse, quod sciret misericordem Deum maxime in tentationibus affuturum*, ut in ejus vita. Exemplo sunt David in deserto Ziph a Saule obsessus et ope divina ereptus: S. Felix Nolanus inter duos parietes occultatus apparitoribus per aranæ texturam: Heraclius in pugna contra insolentem Cosrhoen Dei ope adjutus, qui paulo ante in maximas angustias redactus, quo se verteret, nesciebat.

Quare cum tanta undique sit sperandi ratio quibuscumque afflictis, videat unusquisque ne ipse sibi desit, tunc enim impossibile est, ut peccat. At qua ratione seipsum quis juvabit? Audi Deum, Ezech. XVIII. *Projicite a vobis prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, et facite vobis cor novum et spiritum novum: et quare moriemini, domus Israel: quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, revertimini et vivite*, q. d. cur negligentia et impœnitentia vestra committere vultis, ut moriamini? Si ego, inquit, qui supremus judex sum, in vestram partem inclino, et modis omnibus damnationis sententiam a vobis avertō: *Quare moriemini domus Israel?* Cum pro actore habeatis advocatum, pro iudice patronum: *Quare moriemini?* Num quia lex peccatores damnat? Sed ego vos absolvo: *Quare ergo moriemini?* An quia patres vestri peccaverunt? At: *Vivo ego, quia filii non portabunt iniquitatem patrum?* *Quare ergo moriemini?* An quia fecistis pactum cum morte, et fœdus cum inferno? Sed in vestra potestate est, dissolvere hoc fœdus: *Quare ergo moriemini?* An quia nimis arduum est vobis ad vitam contendere per legis custodiam? At facile est vobis comparare spiritum novum, quo illuc rapiamini: *Quare ergo moriemini?* An quia neci jam traditi estis a justitia divinæ? At ego vos eripiam ex ipsis mortis faucibus: *Quare ergo moriemini?* Narrat Plutarchus olim virgines Milesias furore actas, solitas sibi mortem consciscere, cum nihil haberent causæ, nisi: *Volo mori*. Dumque nec minis nec promissis ab hæc re averti possent, sapientem quemdam consilium dedisse, ut quotquot se enecassent, publice nudæ suspenderentur. Infamia hæc virgines a sui cæde compescuit. Idem facit desperatus, quod fecerunt virgines illæ: nulla desperandi causam habet, nisi: *Volo mori*. Unde jure qui se necant